



Theologiae Speculativae Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatae Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Vtrum ad valorem hujus Sacramenti sit necessarius dolor & propositum ex motivo vniversali ad omnia mortalia. Vbi, An hoc Sacramentum ex hoc capite nunquam possit esse validum & informe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

non fuit tam efficax, tunc dolor subsequens fiet sensibilis per continuationem presentiae localis, aut alia signa quae tunc procedunt ex voluntate, quae quis vult audire adhortatione adhuc perseverare praesens Confessario, & expectare absolutionem; nam talis voluntas expectandi censetur voluntas esse ponendi dolorem, quem jam cognoscit necessarium ad absolutionem quam praestolaratur. Et hanc perseverantiam tanquam sufficientem ad reddendum dolorem sensibilem, agnoscit Suarez & Pallavicinus.

CONTROVERSIA IV.

Utrum ad valorem huius Sacramenti sit necessarius dolor & propositum conceptum ex motivo universalis ad omnia mortalia: ubi, an hoc Sacramentum ex hoc capite nunquam possit esse validum & informe.

296. **P**rima Sententia docet, sufficere dolorem ex motivo particulari, hoc est non extendente se ad omnia mortalia. Quoad propositum verò fatetur illud debere quidem esse conceptum ex motivo extendente se ad omnia peccata deinceps perpetrabilia, non tamen esse necesse, ut sit ex motivo extendente se etiam ad peccata praeterita: v. g. commisisti peccatum grave furti & nullum aliud: si doleas de furto ex motivo speciali iustitiae, & proponas deinceps vitare omnia mortalia ex motivo honestatis quae reperitur in vitando relapsu post factam reconciliationem, eris, juxta hanc Sententiam, sufficienter dispositus, ut confitendo furtum valide & fructuose absolvaris.

Hinc inferunt posse Sacramentum Pœnitentiae aliquando esse validum & informe, hoc est, sine fructu: nempe si habuisses adhuc aliud mortale v. g. luxuria, sed illius non recordereris, & ideo de illo non doleres, nec illud retractares: tunc, inquiunt, Sacramentum esset validum, sed sine fructu gratiae: validum esset, quia essent positae omnes partes constitutivae: esset autem sine fructu, quia negatio retractionis luxuriae esset obex, ne peccatum furti posset dimitti, non enim dimittitur unum mortale sine alio, & nullum mortale sine retractione. Ita sentiunt Suarez, Lugo, Gaspar Hurtadus, Tannerus, Diana, Bonacini, Filliucius, Dicastillo, & alij. Citant pro se S. Thomam in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. quæst. 1. sed immerito. nam ibi S. Thomas ait, posse esse validum sine ullo dolore, quam sententiam retractavit in 4. dist. 23. q. 1. a. 4. ubi ait, Contritionem esse de Essentia Sacramenti.

Secunda Sententia docet, in casu, quo pœnitens habet mortale, debere intervenire motivum universale, extendens se ad omnia mortalia. Et quidem hoc motivum universale si se teneat ex parte propositi, hoc ipso etiam est motivum dolo-

ris: impossibile enim est, ut quis amittat aliud motivum, & simul advertat ad peccatum deinceps commissum destructivum illius motivi, qui dolor de peccato ex tali motivo. Econtrario si motivum doloris est universale, etiam erit universale motivum propositi saltem virtuale. Quia enim fatetur, quod quando dolor est ex motivo universalis, non sit necesse elicere propositum mortale, sed sufficiat virtuale, identificatum cum illo dolore. His positis negat hæc sententia posse Sacramentum Pœnitentiae esse validum & informe. Ita post alios antiquos Vasquez, Conink, Olgavias, Layman, Turrianus, Fagundes, Amig, Pallavicinus, Elparza.

297. Hæc Controversia tota pendet intelligentia verborum quae in Concilio Florentino & Tridentino habentur, ad quae Concilio precebat declarare essentiam huius Sacramenti. Non licet possint afferri congruentia, illa tamen verum serviant ad convincendum, nisi fuerint aperiendum sensum Conciliorum.

Censeo, secundam sententiam esse Conciliorum verbis & menti conformiorem. Probatur ex verbis Florentini in Decreto Eugenij 8. *Quoniam*. ubi ait, Materiam huius Sacramenti in eo distingui partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commissum cum proposito non peccandi de cetero. Vt prius advertendum est, dolorem formalem esse posse se extendere nisi ad peccata quae memorantur occurrunt, motivum tamen doloris posse latius extendere, quia potest esse motivum universale. Hinc colligo, adversarios ex verbis aliter me inferre, quod Florentinum non requirit motivum doloris latius patens, quam pateant peccata commissa, eò quod requirit solum dolorem de peccatis commissis. Non poterat enim capere dolorem formalem ampliorem, cum non sit possibile, dolere de peccato, quod non cognoscatur commissum. Quapropter mentem Concilij circa motivum doloris, debemus colligere ex verbis adiectis: cum proposito non peccandi de cetero. Hæc verba si sincere spectentur, planè ingenerant in conceptum propositi universale, extendentem se ad quodvis peccatum possibile, adeo ut vi talis propositi nec peccata praeterita posita fuissent illi positi nec peccata praeterita posita fuissent illi positi nec peccata praeterita posita fuissent illi positi. Ratio qui inducit propositum tunc existisset. Quia Concilium requirit universale tale propositum, quo homo quasi renovaretur ipsum propositum, quod debebat habere antequam peccaret, nempe debebat habere voluntatem non peccandi mortaliter, ex motivo universalissimo, extendente se ad quodcumque peccatum & non tantum ad peccatum habens respectum ad relapsus: hoc inquam propositum à quo propositum recessit, debet renovare, quando vult surgere à peccato: atqui non renovaretur hoc propositum, si novum propositum ex alio motivo speciali motivo eliceret: ergo debet elicere propositum ex motivo universalis.

Confirmatur 1. Quia si verba Concilij li-
ceret restringere ad Propositum universale vni-
versalitate tantum se extendente ad relapsum,
poterit alius restringere magis, & dicere, requiri
duntaxat propositum non repetendi peccata com-
missa, adeoque non se extendens ad omnia pec-
cata, quorum species nunquam commissae est: hoc
autem est contra ipsos adversarios: ergo si verba
Concilij debent accipi de proposito ejusque moti-
vo latius se extendente, quam ad quae se extendit
dolor formalis, nempe ad sola commissae & me-
moriae occurrentia, non nisi merè arbitrariè sit
extensio ad sola peccata habentia rationem rela-
psus.

Quod si dicant adversarii (sicut dicunt) ideo
debere magis extendi propositum, quia aliquin-
plus requireretur ad justificationem hominis per
baptismum, qui nullum peccatum personale com-
misit, quam requireretur ad justificationem illius,
qui plurima commisit, nempe quia in adulto, ut
per baptismum justificetur, requiritur propositum
universale, servandi totam legem: si inquam hoc
dicant, nemo non videt, hac ipsa ratione clarif-
simè probari, in poenitente requiri etiam propo-
situm huiusmodi universale, aliquin minus re-
quireretur in tali, quam in illo qui nullo commis-
so peccato est per baptismum justificandus.

Confirmatur ulterius. Propositum quod re-
quireritur, debet ex modo tendendi & motivo suo
esse inconjunctibile deinceps cum peccato, ut tra-
dunt Adversarii, praesertim Lugo contra quosdam
(quos sequitur Dicastillo) volentes sufficere propo-
situm ex motivo restricto ad solas species pec-
catorum confessorum: atqui propositum exten-
dens se solum ad peccata futura ex motivo vitan-
di relapsum, non est inconjunctibile, sed conjun-
gibile cum peccato futuro, ut bene advertit Arri-
ga, nempe casu quo alicui ex postfacto constaret,
illa peccata quae prius putaverat se commisisse,
revera se non commisisse. ergo tale propositum
non est sufficiens. Aliud exemplum offert Card.
Pallavicinus c. 28. his verbis. [Qui putaret se Sa-
cerdotem exempli gratia, posset in adversariorum
Sententia facere propositum restrictum etiam ex
motivo formali ad peccata habentia turpitudinem
ex dignitate Sacerdotis, utpote quae sola peccata
existimaret sibi possibilia, atque adeo posset facere
tale propositum in sensu composito, cum quo pos-
set conjungi aliquod peccatum mortale, si forte
huic homini patefieret, se verè non esse ritè, &
validè ordinatum.

998. Probatum Conclusio 2. ex Tridenti-
no Sess. 14. can. 4. ubi omnes illos actus, qui requi-
runtur ad justificationem per Sacramentum Poenit-
entiae, ait esse partes huius Sacramenti, his verbis:
[Si quis negaverit, ad integram & perfectam pec-
catorum remissionem requiri tres actus in poeni-
tente, videlicet Contritionem, Confessionem, &
Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes di-
cuntur, anathema sit.] Ex quibus sic argumen-
tari licet. Si Sacramentum Poenitentiae potest

esse validum, & informe, sequitur, posse dari
omnes partes Sacramenti, & tamen deesse aliquid
requiritum ad justificationem: porro hoc quod
deesset, non esset aliud quam actus poenitentis:
atqui hunc ipsum vocat Tridentinum partem Sa-
cramenti: ergo adhuc deesset aliqua pars. & ideo
quoties non est fructuosum, non est validum ex
defectu partis.

Responder Lugo n. 94. omnes debere fateri,
quod aliquando per accidens aliquis dolor sit di-
spositio ad gratiam in hoc Sacramento conferen-
dam, qui tamen non sit pars Sacramenti. v.g. qui
recipit baptismum cum effectu gratiae, si deinde
peccaret mortaliter, posset dolere de illis pec-
catis commissis post baptismum ex hoc motivo, quod
essent peccata hominis Christiani, quae sola sunt
materia Poenitentiae; nec videtur dubium, quod
ille dolor sufficeret ad valorem Sacramenti. quod
si ille homo baptismum suscepisset absque dolore
de peccatis praeteritis, ac per consequens absque
effectu gratiae, non sufficeret ille dolor ad fructum
Sacramenti: ergo deesset dolor de peccatis com-
missis ante baptismum, qui esset quidem dispo-
sitio ad gratiam, non tamen esset pars Sacra-
menti.

Sed contra. Negari à nemine potest, quod
Christus potuerit hoc Sacramentum ita instituire,
ut illius pars essentialis esset non quicumque dolor,
sed dolor ex motivo universalis, & prout nos con-
tendimus defacto esse institutum: quod si ergo Chri-
stus ita instituisse, consequens esset, quod dolor
consistens in indivisibili totus esset pars Sacra-
menti, etiam quando se extenderet ad peccatum
ante baptismum commissum: hinc tamen non
rectè inferres, quod etiam ipsa peccata ante bap-
tismum commissae essent materia huius Sacra-
menti, si dolor de illis, ut nos dicimus, esset pars
Sacramenti. Malè ergo supponit Lugo tan-
quam indubitabile, quod in illo casu sufficeret
dolor de peccatis praeteritis, ut sunt hominis Chri-
stiani.

999. Probatum denique ex cap. 5. ejusdem
sess. ubi dicitur. [Constat enim nihil aliud in
Ecclesia à poenitentibus exigì, quam ut postquam
quisque diligentius se excusserit, ea peccata con-
fiteatur, quibus se Dominum mortaliter offen-
disse meminerit. Reliqua autem peccata NB.
quae diligenter cogitanti non occurrunt, in vni-
versum eadem confessione inclusa esse intelligen-
tur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus:
ab oculis meis munda me Domine.] Ecce! Conci-
lium dicit, in universum peccata mortalia occulta
intelligi inclusa in eadem confessione, & per ean-
dem confessionem peti etiam eorum veniam.
atqui certum est, non peti eorum veniam, quae
quis nullo modo retractat: ergo secundum adver-
sarios aliqua peccata commissae sed non occurren-
tia, non erunt in confessione inclusa: ergo vel
confessio erit nulla, vel si est valida, ideo erit va-
lida.

lida, quia ratione universalis doloris sunt inclusa: ergo ad valorem confessionis ex mente Tridentini requiritur dolor universalis. Ergo, ut verbo dicam, Adversariorum Sententia videtur inherere cortici verborum, nostra verò magis assequi mentem Concilij.

CONTROVERSIA V.

Qualis Dolor & Propositum requiratur ad Confessionem venialium.

1000. **D**icendum est 1. Ad validam & fructuosam Confessionem Venialium, non est necessarius dolor aut propositum extendens se ad omniaabilia Venialia, sed sufficit si propositum excludat voluntatem peccandi mortaliter, & insuper illa venialia detestetur, à quibus petit absolvi. Probatur 1. à posteriori. Nam omnes fatentur, posse vnum Veniale remitti sine alio, & posse confessionem fieri de aliquibus, cum actuali affectu ad alia venialia. Hoc ipsum colligitur ex praxi, quæ ostendit sine scrupulo nos confiteri venialia: esset autem res scrupulis obnoxia, si semper deberet intervenire propositum vitandi omnia venialia, quod esset difficillimum, & supra communes hominum vires, ut magis patebit.

Probatur Conclusio 2. & quasi à priori, vel potius ex communi sensu hominum, à Pallavicino c. 28. n. 282. Ad impetrandam veniam ab offenso duo requiruntur & sufficiunt. primum est, velle efficaciter amicitiam illius à quo veniam petimus: (ecce! propositum excludens voluntatem peccandi mortaliter) secundum, efficaciter excludere omnia illa quorum veniam petimus. Quod autem hoc secundum requiratur (quod aliqui negarunt) probatur. Quia attritio est necessaria pars hujus Sacramenti, ut probatum est: atqui attritio quæ est pars, debet esse efficax detestatio peccati commissi, ut probatum etiam est: ergo non sufficit quæcumque inefficax displicentia, ut quidam volebant.

1001. **O**bjicitur 1. Si requireretur modo dicto detestatio & propositum efficax circa omnia Venialia quæ quis confitetur, & à quibus absolvi cupit, sequitur non posse hominem unquam confiteri & absolutionem petere ab illis venialibus, quæ commissæ sunt ex morali necessitate, sive, ab illa multitudine quam totam erat moraliter impossibile evitare, sicut de lege ordinaria est moraliter impossibile, adeoque defecto nunquam futurum, ut quis per longum tempus abstinere ab omnibus venialibus: consequens est contra praxin: Sequela probatur. non possum enim prudenter mihi proponere non facere, quod certò scio me facturum: atqui certò scio, me sicut ante hac ita deinceps non evitaturum omnia venialia, si redeant circumstantiæ moralem necessitatem inferentes: ergo &c. unde consequens esse videtur, non requiri respectu venialium detestatio-

nem & propositum efficax, sed sufficere simplicem displicentiam.

Hæc obiectio multis difficilior apparet, quàm reip̄a sit, & si rectè attendatur, habet quoddam locum in mortalibus. contingit enim aliquos in certis vitijs ita esse habituos, ut mortaliter certi sint, se iterum lapsuros, nec possint se illo modo erigere ad firmam spem ea diu cavendi, & tamen fatentur Theologi, talem posse absolvi, modò hic & nunc eliciat propositum tale tamque efficax in modo tendendi, ut non possit coniungi cum voluntate peccandi, cum voluntas peccandi sit revocatoria talis propositi: omne enim propositum humanum est revocabile; ac potest potest stare propositum non peccandi cum futuritione revocationis. Pari modo de Venialibus moraliter inevitabilibus potest defecto concipi propositum ex se efficax impossibile, dum perseverat, cum peccato veniali, & immensè sufficiens ad omnia vitanda, quamdiu perseverat; esto certus sim, non perseveraturum; nam hæc certitudo non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum; adeoque illud efficax propositum potest coniungi cum iudicio de futura revocatione, fundata in experientia vel revelatione divina, qualis habetur de morali necessitate peccandi venialiter, expressa in Trid. & suo loco declarata. Sic Petrus, etiam auditâ revelatione de futura negatione, poterat tamen, imò tenebatur elicere propositum non negandi.

Confirmatur. Sicut se habet retractatio de & detestatio respectu peccatorum præteritorum, ita se habet propositum respectu futurorum: atqui retractatio præteritorum non est efficax effectivè, sed tantum affectivè, hoc est, coniungitur cum evidenti cognitione quod non possumus recedere, ut peccatum non præcesserit, quæ tamen cognitio non impedit, quominus sit talis avertio, ut si tempore peccati commissi existisset, omnes affectum peccandi excludisset: ergo potest etiam propositum esse affectivè efficax, non obtinens cognitione de morali necessitate peccandi.

1002. **O**bjicitur 2. Si ad Confessionem Venialium requiritur retractatio omnium quæ quis vult subijcere clavibus, & quidem si quis, ut solet fieri, se accusat de omnibus in confitendo, sequitur facillimè posse huiusmodi dolorem & propositum revocari per veniale consequentium illud dolorem: unde iterum consequetur, tunc Sacramentum fore nullum, quod dum videtur. R. cum Card. de Lugo, quod quamvis illud propositum realiter sit actus indivisibilis, virtualiter tamen sit multiplex, hoc est, magis de testativum illorum Venialium, quæ sunt cetera graviora, magisque deliberata. Unde licet per aliquod leve veniale revocetur propositum, quoad ea venialia, quæ sunt aqualia, vel etiam leviora illo, quod de novo commissum est, non tamen revocatur quoad graviora, & ideo saltem à graviore absolvetur, quia respectu illorum adeo debita dispositio. Declarat hoc Pallavicinus de